

Beiheft

2

S

99/100

1175.

[9]

99

Bischof Hermann von Münster überträgt das Erbe Widerike an das Stift Varlar.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Hermannus Dei gratia Monasteriensis episcopus. Quia variis periculis quotidie causarumque tumultibus pastoralis cura nos implicat, spiritales quosque ac religiose conversationis viros nostris semper consolationibus [et] beneficiis, quibus gaudemus, attolere, quorum indefessis orationibus velut armis caelestibus adversa quaeque repellere ac summam pastoris gratiam speramus obtinere, proinde notum facimus tam futuris quam praesentibus Christi fidelibus, quod domum Widerike, qua ministerialis noster Fridericus de Wederike a nobis inbeneficiatus

exitit, ipso nobis eam voluntarie ac pia intentione resignante, dilectis fratribus nostris in Varlar Deo servientibus cum universis appendiciis suis et usibus benigna largitione contulimus, fideleriter sperantes inde nobis nostrisque tam successoribus quam antecessoribus aeterna animarum provenire remedia, unde Christi pauperum augmentantur quotidiana stipendia. Ut igitur haec nostrae pietatis largicio ipsis devotis Christi pauperibus stabilis in aevum et inconvulta permaneat, eam praesentis paginae conscriptione ac sigilli nostri impressione corroboravimus, quam si quis imposterum qualibet malignitatis arte cassare praesumpserit, eum, quoadusque se paenitendo correxerit, districta Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostri anathematis ultione ferimus. Acta sunt haec dominicae incarnationis anno M^oC^oLXXV^o, indictione VIII, Testes autem huius traditionis hi sunt: Franco vicedominus, Bernardus de Ibenburen magister, Hartwicus, Hermannus de Lage, Hermannus de Herbeden, Wescelinus Rufus, Theodericus de Enkern, Walterus capellanus, canonici maioris ecclesiae de sancto Paulo, Franco decanus; Menricus, Ever (!) ministeriales, Bernardus de Dulmen, Lubertus de Beveren, Albertus de Wolfheim, Hugo de Meinhuvele, Lubertus de Assbeke, Brunsceni (!) Rotgerus, Lubertus de Tuschusen.

Kopie im Varlarer Kōpiar S. 148/149.